

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 8877

**Auteur(s) :** Lisiard, Sées (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1191, 7 mai

**Lieu d'émission :** Neufchâtel-en-Saosnois

**Action juridique :** notification

**Langue du texte :** latin

## Analyse

CHARTRE DE LISIARD, ÉVÊQUE DE SÉEZ. — Robert III d'Alençon du consentement de son frère Guillaume, pour le salut de l'âme de Jean, leur frère, fait de nombreuses donations à l'abbaye de Perseigne, et confirme les donations et acquisitions précédentes. Il confirme également à l'abbaye la jouissance des propriétés et des revenus abandonnés, en présence des nombreux vassaux venus aux funérailles du comte Jean, par plusieurs seigneurs au nombre desquels on remarque Odon Cotinel, Pochardus, son frère, Guérin de Nuillé, Herbrand de Saint-Pierre, etc. 1191.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n°

Texte d'après a

Universis sancte matris ecclesie filiis, L. Dei gratia sagiensis episcopus, salutem in salutis auctore. Noverint universi quod Robertus, filius comitis Johannis de Pontivo, assensu et voluntate fratris sui Willelmi, caritatis optemptu, pro salute anime fratris sui Johannis et antecessorum suorum dedit et concessit in puram liberam et quietam et perpetuam elemosinam decem libras cenomanenses abbacie Sancte Marie de Persenia. Verum pro octo libris prefate elemosine decem librarum dedit et concessit et confirmavit prefate abbacie dictus Robertus ut semper libere habeat et quiete possideat quicquid capere debebat vel juris sui vel predecessorum suorum erat in illis molendinis et pertinenciis eorum et molitura tocius Mamerti, que ad ipsos molendinos pertinere dinoscitur in quibus apud Mamertum cum monachis blesensibus dividebat. Residuum autem decem librarum, hoc est quadraginta solidi cenomanenses in prepositura de Mamerto omnibus annis supradicta Persenie abbacia, in nativitate sancti Johannis Baptiste percipiet. Idem etiam Robertus dedit et concessit eidem abbacie quemdam burgensem apud Mamertum nomine Fulcaudum Perer et heredem ejus vel cum qui domum ejus possidebit perpetuo liberum et quietum cum omnibus rebus suis ab omnibus costumis et terreno servicio et exactione seculari, pro servicio et negotiis monachorum agendis. Insuper et servicium quod comiti facere debebat monachis Persenie faciet. Dedit etiam idem Robertus eidem abbacie in perpetuum pacifice possidendam molituram de Novo-Castello que ad molendinum de Britesca dinoscitur pertinere, quod molendinum eadem abbacia ex dono et concessione avi sui bone memorie Willelmi comitis possidebat. Prefate etiam abbacie dederat et in perpetuam elemosinam concesserat pro anima prefati Johannis, Odo Cotinel viginti solidos cenomanenses de censibus suis Blevie ad luminaria ecclesie ; Pochardus, frater dicti Odonis, decem solidos cenomanenses ; Garinus de Nuilleio decem solidos cenomanenses ; Herbrannus de Sancto Petro decem solidos cenomanenses, Herbertus de Bernaiis decem

solidos cenomanenses ; Elinandus de Congeio decem solidos cenomanenses ad luminare ecclesie. Elemosine autem iste omnes, preter elemosinam Odonis Cotinelli, in perpetuum solventur apud Bernaium et Vinacium a prefatis militibus et heredibus eorum qui predictos redditus possidebunt de redditibus quos nominatis militibus contulit prefatus Johannes ad terminum quo predicti redditus reddi constituentur. Elemosina autem Odonis Cotinel, scilicet viginti solidi cenomanenses omnibus annis in crastino sancti Remigii in perpetuum persolvetur sepefactis monachis ab eodem Odone vel heredibus ejus vel ab omnibus qui quocumque modo nominatos ejus census Blevie possidebunt. Johannes autem de Sancta Scolastica dedit eidem abbacie vj denarios cenomanenses ; Robertus de Sancto Petro vineam suam de Pireio ; Matheus de Polleio omnem illam contencionem et reclamacionem quam diu habuerat cum monachis de Persenia super piscationem et aquam que Sarta dicitur apud Roelers in pace eisdem monachis dimisit et quietavit ut de cetero libere utantur nominata aqua sicut voluerint ; Thomas Carnifex dedit herbagium quoddam et terras ad tres minas sementis que emerat a Matheo Tironel et Hais uxore ejus. Omnes supradictas elemosinas de assensu dictorum Roberti et fratris sui Willelmi, liberas, quietas et absolutas ab omnibus costumis, et terreno servicio et exactione seculari dicta abbatia in perpetuum possidebit. Hec autem donationes facte fuerunt apud Perseniam anno Domini M° C° XC° I°, nonas maii, quum humatum est corpus sepedicti Johannis in presentia nostra et abbatum Henrici de Sag[io], Gervasii Sancti Vincentii cenomanensis, Gar[ino] de Tyron[ello] (?) Unum veritatis testimonium perhibentes omnes que supradictas elemosinas confirmantes, presens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Hiis autem donationibus interfuerunt, Ric....., vicecomes Bellimontis, Robertus de Nuillé, Robertus de Garena, Johannes Baritaut, archid[iaconus], Robertus Quarrel, Johannes de Mamerto, decanus, Robertus et Gervasius, capellani Comitis, et Rogerius de Cherel, et multi alii tam clerici quam laici, sacerdotes, milites et alterius professionis.